

1



4,286. 2071

DISSERTATIO IN AVGURALIS IVRIDICA  
DE  
**FEMINA MVTUVUM**  
CONTRAHENTE  
BENEFICIORVM MVLIEBRIVM  
EXPERTE

QVAM  
RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO**  
**CAROLO AVGUSTO**  
DVCE SAXONIAE, IVLACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE  
ET GVESTPHALIAE REL.  
EX DECRETO ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
**CAROLO FRIDERICO WALCHIO**  
IVR. DOCT. COD. AC NOV. PROF. PVBL. ORD. SERENISS.  
DVC. GOTHA. ET ALTBVRG. CONSILIA. AVLICO  
GVR. PROVINC. SAXON. COMMVN. ADSESS. AC IVRECONS.  
ORDINIS ET SCABINOR. COLL. SENIORE HVIVSQUE  
H. T. DECANO.  
PRO SVMmis IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
CONSEQVENDIS  
DIE XX. IVN. CCCCCCLXXVIII.  
ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**IO. ERNEST. BERNHARD. EMMINGHAUS**  
IENENSIS, SOCIETATIS DUCALIS TEVTON. COLLEGA.

IENAE  
LITTERIS STRAVSSIANIS.





**Q**VANTA cura maiores nostri Germani, imo  
et Romanorum Legislatores cauere stu-  
duerint, ne sequior sexus, quem, **TACI-**  
**TUS** a) teste, magno semper honore pro-  
sequi solebant progenitores, pro natura-  
li, quae in feminis est, imbecillitate ac  
iurium imperitia, deciperetur, nec in-  
genii virilis superioritate induceretur ad  
contrahenda negotia ipsis praeiudicantia, neminem fugit,  
qui in iure nostro saltem dupondium sese fatetur. Nonnul-  
lae

A

lae

a) *TACITVS de moribus Germanorum, c. VIII.*

iae exinde veterum Germanorum *b)* constitutiones, et variæ prouinciarum ordinationes originem trahunt, praecipue autem ex parte Romanorum, celeberrimo illo senatusconsulto Velleiano, Nouellae 134. capite 8, et authentica ista: *si qua mulier*, media aetate a iurisperitis, quos illâ tulit, codici inserta, feminarum priuilegiis prospectum esse, constat, quibus sanctum, ut mulieres ex intercessione neutriquam pro extraneo, vel pro marito soluere, essent obligatae, ita ut etiam ex ista conueniri non possint, nisi de vigore SCti vbique instructae, beneficiis expresse renunciauerint *c)* ac nihilominus se fideiubendo obstringere voluerint: quae quidem renunciatio vxoribus pro maritis intercedentibus nequidem permissa erat, sed expressis authenticae verbis prohibita.

RATIO principalis, qua posterior haecce constitutio nitit videtur, in eo procul dubio versatur, quod praesumtio inter Romanos eminert, vxorem ad eiusmodi intercessiōnem, ex qua rei familiaris detrimentum facile pati possent *d)* a marito plerumque dolose, fraudulenter, obreptitie, imo et blan-

*b)* præfertim SAXONVM ET ALE-  
MANNOVM qui voluerunt, nemu-  
lier sine mundo aliquid in iudicio per-  
ageret. *vid. Spec Saxon.* L. 1. art.  
45. L. 11. art. 63. *Ius Prouincia-  
le Alemann. c. CCXL.* apud SCHIL-  
TER. in *thesauro antiquit. teuton.*  
*T. II. p. 139. et 141.*

*c)* hanc renunciationem, præ-  
fertim si extrajudicialiter et absque  
caussa cognitione facta sit, inten-  
tioni legislatorum ac iuris analogiae  
contraria esse, arbitrantur nonnulli  
legum interpretes. Attrauen prax-  
is *et obseruantia fori* illam iusti-  
ficant. *vid. LEYSERI meditari. ad*  
*Pand. L. XVI. Tit. I. spec. 170.*  
*GAILII obseruat. 77. num. 1. et*  
*alios.*

*d)* *L. 2. §. 2. ff. ad SCrum Vell.*  
Altera enim, quam L. 1. §. 1. h. t.  
adicit huius dispositionis ratio, quam  
ut plurimum allegant Doctores apud  
nos parum referre viderur, quam  
praxis hodierna illam ignoret. Imo  
dubium adhuc est, utrum interces-  
sio proprie si munus civile vel viri-  
le, an potius officium iuris gentium  
*L. 5. D. de I. et I. LAVTERBACH*  
*ad b. 1. §. 2.* Et si intercessio viri-  
libus

blanditiis, aliisque mediis persuasoriis ineptis seduci, aut minis etiam compelli: id quod pro virili parte impedendum putabant, ac ideo lege ista prohibitua mulieres a viro- rum sollicitationibus, earumque effectu liberare volebant. Qualem attamen Germani ignorabant presumtionem; imo penes illos pleraque rationes, ob quas vxori Romanae non licuit intercedere pro suo marito, cessabant, ita, vt potius pietatis et virtutis studio vxoribus fideiussionem pro suo coniuge suadebant, et commendabant ad amoris et fiduciae vinculum inter coniuges strictius colligandum, quibusque intererat maxime, quo minus negotia, licita saltē, semel bona fide pertractata, postea corruerent, nec pacta alias rite conclusa, rescinderentur. Dabant igitur feminis curatorem e) quocum in iudicio comparebant; cum isto instructae negotia quaevis rite peragebant, nec ista umquam prorsus valore destituebantur, licet reuera mulier ex negotio, curatoris consensu firmato, damnum perpeccā fit f). Negotia autem extraiudicialia feminae quidem solae pertractabant; faciliter tamen negotio iis subueniebant, si doceri poterat, quod laesae fuerint. Quare etiam nulla apud veteres

A 2

res

libus officiis simpliciter adnumerari posset, feminae numquam fideiūbendo obligarentur, nec opus fuisse est SCto Velleiano si haec ratio procederet, quum iam dudum mulieres ab omnibus officiis publicis ac virilibus sufficent remotae per L. 12. ff. de R. I. et §. 5. Cod. de postul. vid.

e) Feminarum quamque apud Germanos in tutela esse docent EN.

GAV in *Elem. Iur. Germ. ciū. L. I.*  
§. 473. *VLPIANVS in fragment.*  
*tit. II. SCHILTERVS Exercitat.*

37.

f) vid. BEIER D. I. G. p. 126.  
CARPOV. P. II. *constit. 15. def.*  
33. Contrariam sententiam hodie plerumque esse receptam flatuit THOMASIVS in diff. de usu exiguo SCri Velleiani in for. German. Vix autem credo, restitutionem in integrum ex intentione veterum legislatorum hic locum habuisse.

res dispositio reperitur, qua facultas mulierum ratione intercessionis limitata sit. g)

POSTQVAM vero iura peregrina in Germania nostra introducta erant, Romanum nempe et Canonicum, quod sacrifacientiae religionis nostrae christianaes doctrinas legibus ciuitibus immiscere ac legislatorum constitutiones istius principiis magis accommodare voluit, haecce materia multis proinde ambagibus innodata est. Attamen Senatusconsulatum illud Velleianum apud nos, plerunque sicut penes Romanos b), Authentica autem sic restricta valet, ut vxor illi iurato cum effectu renunciare possit.

HISCE praemissis, vt proprius proposito accedam, ad curatius paullulum considerandum me accingo, an, et quantum istae legum dispositiones ad casum, vbi femina mu-tuum contraxit, applicari possint, ita ut ex beneficiis eaurum commodum percipiat; id quod statim sequentibus videamus.

### §. I.

MVTVVVM est contractus realis, quo res fungibilis ita traditur alicui, ut eius fiat; et aliquid tantundem in eodem genere restituat. i) Est igitur ex numero conractuum, qui recte concludunt et obligationem producunt, dummodo uestique pacientium contrahendo valide sese obligare potest, et ius habeat, res fungibles acquirendi aut alienandi.

### §. II.

g) vid. ENGAV Elem. Iur. Germ. ciu. L. III. §. 155. DE LUDWIG L. c. IDEM in differt. de SCto Vel- kiano in Germania exfule.

b) videatur tamen STRYK Vf. mod. Pandect. ad SCrum Vellei. §. 2-

6. THOMASII diff. de rfu exiguo SCti Vell. in for. Germ. §. 15. DE LUDWIG L. c.

i) Perill. HELLFELD Iurispr.

for. sec. Pand. ord. §. 777.

## §. II.

QVOD regulariter quaevis femina super rebus ad substantiam eius pertinentibus eiusmodi contractum rite inire, rem tamē fungibilem ab altero accipere, sese ad rem eiusdem generis restituendam obligare, et ex ista obligatione rite conueniri possit, nemo est, qui dubitet. Imo quod cum quolibet extraneo coniunctum mutuum rite contrahat, et ex isto pro rata ad soluendum obligetur, nemo facile negabit, si alioquin pactum istud secundum legum praescripta et constitutiones locorum rite conclusum est. *k)* Quid vero tunc dicendum, ybi alter iste, quocum simul femina tale pactum ingressa est, ipsius maritus esset, et vxor neque pro eo se obligauerit, neque pro eo aperte intercesserit, sed tantummodo in eodem instrumento cum marito principalem suscepit obligationem? an vxor ex tali negotio pro sua rata teneatur, an vero, subducta muliere, maritus solummodo ex illo in solidum obligetur, de eo variae admodum inter antiquiores ac recentiores iureconsultos sententiae in lucem prodierunt.

## §. III.

QVANDO secundum iuris naturalis principia rem consideramus, dubitandum minime erit, vxorem pro sua rata semper teneri, et accessionem mariti ad eiusmodi vxoris contractum nihil omnino eiusdem obligationi detrahere, aut fidem instrumenti infirmare; fanae enim rationis dictamine edociti scimus, quemlibet hominem, iudicio praeditum, ex sua conuentione simpliciter obligari; *l)* nulla etiam fortasse

A 3 huius

*k)* sic e. gr. in foro Wurttembergensi mulieres auctoritatem curatoris ad mutuum accipendum adhibe-

BACH Coll. Theor. pract. ad L. XII.  
ff. tit. I. §. 19.

*l)* PUFENDORF de Iure natur. et  
re debent, vii monit LAVTER. Gen. L. III. c. IV.



huius rei quaestio moveri potuisset, si maiorum simplicitate adhuc vti liceret, quippe qui morum puritate ac sinceritate magis quam ingenii subtilitate et astutia gloriari solebant, et, quantum fieri poterat, omnia negotia ex genuinis fanae rationis principiis diiudicabant; aut si lura peregrina, praesertim Ius Romanum, quo omnis fere hodiernae iurisprudentiae fundamentum nititur, hac de re determinatum quidquam disponerent. Deficiente autem directa eiusmodi dispositione, totum illud negotium Doctorum iudicio relinqui debebat, qui de hinc, prout ex hoc vel illo conspectu rem perpendebant, diuersimode etiam regulas analogiae applicarunt, mox in fauore creditoris et mariti, saepius autem pro emolumento vxoris fese obligantis, item dirimunt.

#### §. IV.

PLACVIT autem plurimis fere inter praecipuos Germanorum Iurisperitos ex doctrina Romanorum de mulierum intercessione huic quaestioni lumen afferre, qui idcirco illam ex Authenticae C. Si qua mulier, et Nouellae 134. c. 8. prae scriptis, decidendam esse, censerent. Statuant igitur, quemadmodum intercessio vxoris pro marito regulariter nulla esset, ita etiam ex mutuo, simul cum marito contracto, illam nullatenus teneri, nisi probetur, vel totam rem, vel partem eius ad mulierem actu peruenisse. Qualem sententiam fouere videntur imprimis magnorum nominum viri, exquisita aliunde iurisperitia splendentes, LAVTERBACHIVS m), BRVNNEMANNVS n), BER-

LICHI-

m) Coll. Theor. pr. L. XVI. tit. in Comment. ad Cod. Lib. IV. Tit. I. ad SCrum Vellei. §. 6.

29. ad SCrum Vellei, Auctb. Si qua

n) Commentar. ad L. fin. D. ad mulier.

SCrum, Vellei. n. 16. 18. IDEM

LICHIVS o), STRYCKIVS p), MENOCHIVS q), GAILIVS r),  
STRUVIVS s), ANTONIVS FABER t), WIBELIVS u), et alii,  
quorum equidem auctoritatem in dubium vocare haud co-  
narer.

### S. V.

ATTAMEN, quum aliud sit, pro altero intercedere, aliud simul cum illo contractum inire; quum vxor hoc casu suum potissimum negotium gerat, ac suo proprio nomine contrahat, obligationem mariti neutiquam in se recipiat, sed potius ipsa fidem suam principaliter obstringat, haud facile perspicendum erit, quo pacto beneficia muliebria et speciatim Authentica C. si qua multer huc sit trahenda. Ita enim aperite loquitur non nisi de solius mariti obligatione principali, cui vxor tantum intercedendo, ad eius fidem corroborandam, accedit; ad leges correctorias pertinet, ideoque strictissime explicanda est v), nec ad casus in Corpore Iuris nullibi obuenientes facile extendenda. Aequem minus etiam ex ceteris, quas pro coloranda sententia allegant, legibus, colligi poterit, siquidem istae in fauorem dotis tantummodo quaedam constituant, quae huc plane non sunt referenda m). Ipsi e contrario plerique Doctores toram rem ex fanae rationis principiis, iunctis cum analogia Iuris dijudicandam esse concedunt, dum variis hominum praesumptionibus sententiam modo inductum suffulcire student; aequitas autem naturalis feminas aequem ac masculos ex chirographo obstringit,

et

o) Part. II. concl. 19. n. 59. et ad SCrum Vell. §. xi.

173.

p) Vf. mod. Pand. ad SCrum Vel-  
lei. §. 6.

q) L. III. prae sumt. 22. n. 3.

r) L. II. obseru. 89. n. 1. sq.

s) Synt. Iur. Ciui. L. 16. tit. 1.

t) Cod. L. IV. tit. 21. def. 20.

u) Tract. de contract. mul. cap.  
5. n. 31. sq.

v) vid. HORN de Interpretar.

iurid.

w) vid. GAILIVS l. c.



et omnes hominum constitutiones in dubio sic interpretandae sunt, ut quam minimum a ratione naturali recedant  $\alpha$ ). Nobis igitur nimis durum videtur, in eiusmodi casu, vbi reuera causa ex aequo et bono est decidenda, creditori, qui bona fide cum femina honesta ac libera mutuum contraxit, sua ex parte pecuniam numeravit, ac ideo etiam altera ex parte restitutionem expectat, nimia tantummodo subtilitate, aut praeiudicata opinione commoti, iudicis auxilium contra eandem feminam simpliciter denegare, aut ei pergrauiissimum illud onus, probandi, quod res in utilitatem illius sit verfa, imponere velimus. Facile enim, si in hac probatione defecerit, id quod creditori, tamquam extraneo, omnino absque sua culpa contingere posset, et maritus fortasse egens sit  $\gamma$ ), totam fortem, quam mutuo dedit, perdere posset; rursus altera ex parte, vbi maritus soluendo erit, iterum absque ratione sufficiente iste nimis degrauaretur per solutionem totius, quod pro parte tantummodo accepit, si forsitan media probandi illi deessent, quod reuera in rem vxoris pecunia versa sit.

### §. VI.

FACILI profecto negotio argumenta, quibus illorum sententia fulcitur, refutari possunt, mihi semper magis placet mitior sententia IVST. HENN. BOEHMERI  $\alpha$ ), qui pu-  
rissima Iuris Naturae pracepta amplecti mihi videtur, dum euincit, vxorem aduersus creditorem de obligatione ex mu-  
tuo simul cum marito contracto ipsam interpellantem, SCto Vel-

$\alpha$ ) vid. GRIEBNER princip. to egente semper teneri: quum au-  
Iur. natural. L. IV. c. I. th. 2. tem distinguere non licet, vbi lex  
not. 3. 4.

$\beta$ ) quem quidem casum excipit  
CARPZOV. P. II. Confir. XVI.  
def. 4. suadens, vxorem pro mari-

$\gamma$ ) vid. eius disserat. de efficaci  
mulierum intercessione, c. III.

Velleiano et authentica *si qua mulier* in regula fese tueri non posse, sed pro rata saltem omnimodo teneri. Quando enim I Ctorum supra inductorum enunciations curatius paullulum perlegimus, facile intelligendum est, fundamenta earum hacce potissimum ratione posse complecti, quod duplex contra creditorem in casu obuio vxorem conuenientem, militet praesumptionis; prima nempe obligationi vxoris intercessionem palliatam subesse, altera, vxorem vi, dolo, metu etc. a marito ad contrahendum fuisse compulsam, et pecuniam soli marito esse numeratam, cum ad eum imprimis administratio pertineat.

### §. VII.

PRIOREM, quam modo indicauimus, praesumptionem ex eo deriuare student, quod coniuges in eodem instrumen-  
to fese obligantes tamquam correi sint considerandi ac diu-  
dicandi, correi autem vice mutua fideiussores essent. Quum autem fideiussio vxoris pro marito propter Authenticam C.  
*si qua mulier* et Nouellam 134. de iure subsistere nequeat,  
etiam priustollendum esse suadent, ac ideo totam vxoris obliga-  
tionem ex instrumento, vbi simil cum marito contraxerit ces-  
fare existimant. Iam quidem dubium non est, quod vxor inter-  
cessisse videatur, vbi reuera cum marito obligationem cor-  
realem inierit, eiusque intercessionem pro rata mariti, ob-  
stantibus feminarum beneficiis effectum producere non posse;  
ast nihilominus varia sunt, quae huic argumento nostra ex  
parte modo legitimo opponi queunt.

### §. VIII.

PRO PRIMO enim confectum neutiquam est, quod in  
eiusmodi casu, de quo nunc sermo nobis est, semper exis-  
tere debeat correalis obligatio. Casus enim omnino occurrere  
B  
pote-



poterit, vbi vxor et maritus in eodem instrumento mutuum quidem contraxerint, attamen eo pacto, ut singuli pro rata sua tantummodo obligentur, siquidem nullibi vxori prohibatum est, sese, absque animo pro marito intercedendi simul cum eo obligare, ut bene monet CARPOVIVS a). Imo constat ex clara legis dispositione, correalem obligationem, seu in solidum, locum non habere, nisi expresse ita conuentum, ut plures in solidum obligentur et acquirant, aut ex singulari ratione lex plures in solidum teneri iubeat. b). Certe autem nullibi in Iure talem legis dispositionem inuenies, vbi sanctum esset, quod coniuges in eodem instrumento sese obligantes, pro correis sine existimandi. Quodsi vero ex simultaneo contractu ad correalem obligationem et mutuam intercessionem statim exinde proficiscerent concludere velles, et ideo validitatem illius contractus, quatenus mulierem spectat, impugnare, mulier etiam ex nullo contractu cum extraneo quoquis initio teneretur, obstante Senatusconsulto Velleiano, id quod abfonnum esset, et clarae legi contrarium c). Ipse etiam concedit ac docet LAVTERBACHIVS ex lege quadam digestorum cc) Senatusconsultum locum non habere, quando creditor, cum quo mulier ab initio contrahit, nescuerit, ipsam pro alio intercedere. Vnde autem, quaeo, creditor scire poterit, an intercessio adsit, nec ne quando neque ex instrumento, neque ex legum dispositione ista concipi potest? Quare igitur ratio nulla existit, cur, pro materia substrata, vbi plane abest correalis obligatio et fideiussio, beneficiis muliebribus locum dare, et vxorem ab obligatione, id quod pro parte accepit, etiam pro rata sua soluendi, liberare velimus.

#### §. IX.

- a) *Constitut. XVI. P. II. def. 4. risprud. for. §. 329.  
n. 1. et 4.*      c) *L. 17. §. 2. ff. ad SCium Vellei.*  
b) *vid. Perill. HELLFELD. Iu-*      cc) *L. 4. pr. ff. ad SCium. Vell.*

## §. IX.

SED posito etiam, pro secundo, casum reuera adesse quo coniuges correaliter sese obligarent, ideoque in solidum teneri vellent, attamen quomodo dicta *si qua mulier Authentica et Nouella 134*, esti obligationem vxoris pro rata mariti adimat, ad alteram chirographi partem, vbi vxor principaliter sese obligauit, sit trahenda, nusquam perspicio. Nihil enim commune habet intercessio cum obligatione principali *d)*; haec sine dubio subsistit, quamvis eius accessoriū, intercessio nempe pro parte, quam maritus accepit, corruat: quare etiam mulier, quando cum extraneo simul contraxit pro sua rata saltem omnino tenetur. Quando autem beneficium ex Senatusconsulto Velleiano eius obligationi non obstat, cur, quaeſo, non idem statuere volumus, si vxor cum marito tamquam correā sese obligauerit? Quod si enim Nouellam 134 et Authenticam, *si qua mulier*, ea, qua par est, diligentia perlegimus, facile apparet, recentiores istae dispositiones reuera nil noui constituisse, nisi quod intercessionem vxoris pro marito, etiam post biennium reiteratam, pro inualida declarant. Vnde quidem colligitur eiusmodi intercessionem apud Romanos magis exofam fuisse, quare etiam apud nos prohibita censetur renunciatio beneficiorum muliebrium, vbi res mariti agitur; quod vero principalem vxoris obligationem attinet, perperam Iureconsulti inter maritum et extraneum distinguunt.

## B 2

## §. X.

*d)* vid. Perill. HELLFELD Commentar. de Intercess. mulier. et ICto Vellei. §. 28. Porro quoque feminæ obligantur, si intercessioni aliud accedit negotium obligatorium. Hoc enim casu, licet intercessio in se non obliget, feminæ tamen ex negotio, cum intercessione coniunctio omnino obligantur. EIVSDEM Iurispr. forens. §. 923: Ex correptione obligatione ultra suam ratam bandatur.



## §. X.

AD alterum nunc progrediamur, quo ICti dissentientes plerumque nituntur, argumentum, quod nempe in causa obvio praesumtio intercedat, doli mali etc. ex parte mariti, et pecuniam soli marito esse numeratam; et siquidem ista praesumptionibus iuris neutquam est adnumeranda, ac nullibi in legibus fundata, imo etiam aequitati naturali repugnat, multum abest, vt ista sufficiat ad onus probandi in creditorem deuoluendum. Afferunt nempe BRVNNEMANVS et BERLICHIVS, quibus inter recentiores praesertim accedit opinio viri illustris DAV. GEORG. STRUBEN<sup>e</sup>), Iureconsulti longe ante alios eminentis, tale mutuum; quod coniuges simul contrahant, ad sustinenda matrimonii onera plerumque contrahi; cum autem ista incumbant marito, et vxor opus non habeat pecunia, rite praesumentum esse, pecuniam istam ad solum maritum, tamquam potentiores, et cui vxor contradicere non audeat, peruenisse, et summatum totum istud negotium ad decipiendam vxorem, eamque beneficiis legum, modo doloso et fraudulentio, priuandam, initum esse, arbitrantur; adeoque nullam exinde vxori obligationem exoriri, si vel maxime ipsa confessa sit, pecuniam in suam utilitatem esse versam; sed ne tunc quidem quoad suam ratam teneri. f) Desiderant potius simpliciter, vt creditor probationem versionis rei in utilitate vxoris suscipiat, illamque modo legali absoluat, priusquam ex eiusmodi contractu istum conuenire possit.

## §. XI.

SED omnia haec, vbi proprius dilucidantur, exiguae grauitatis esse videntur, ac parum argumenti afferre, ex quo

e) vid. dessen rechtliche Bedenken p. F. ROMANVS in diff. de SC<sup>a</sup> p. LXXVI.

f) vid. etiam GAILIVS loc. cit.

quo colligendum sit, maritum reuera totius fortis debitorum esse.

Quoad primum enim aequo animo concedimus onera matrimonii ad maritum potissimum spectare; attamen exinde haud facile bene fundatum quidquam induci poterit, quoad vsque extra dubium nonum est, quod mutuum ab ambo-bus coniugibus simul contractum onerum matrimonii sustentationem semper et indistincte pro obiecto habeat. Totidem ac tantundem potius casus cogitari et obuenire poterit, vbi coniuges argentum aliunde sumunt, rationibus plane diuersis compulsi, v. c., ad vitam amoenius, commodius degendam, adhunc vel illum scopum communem attingendum, hoc vel illud negotium pertractandum ex quo aequale ambobus commodum, voluptas, honos aut alia satisfactio contingit, quae tamen nihilominus ad onera matrimonii non sunt computanda, tunc autem ratio nulla existit, cur media ad finem communem pertinentia non iridem inter utrumque iustis partibus distribuere velim. Saepius imo contingere poterit, vt tale mutuum ad vxoris commodum praecipue redundet, et v. c. ad commodiorem ipsius in statu viduitatis sustentationem, ad bonorum dotalium meliorationem, aut alia quaecunque vxoribus favorabilia tendat, ira, vt eo minus obligationi ex mutuo proficisci fese frustrahere; aut totum onus soluendi in solum maritum devoluere possit, quando vel maxime res dubia sit, et nulla in instrumento mutuum contrahendi caussa fuerit expressa.

Et si vxor pecunia numquam egeret, vnde, quaeſo, bona ista paraphernalia apud Romanos, et receptitia inter Germanos notissima, originem traxissent? Quid quod ipsi LAVTERBACH, BERLICH et BRVNNEMANN concedunt vxorem omnino teneri, si ad communem negociationem, vel familiae conseruationem maritus et vxor mutuam acceperint pecuniam? Nonne autem probabilius est, pecuniam, quam coniuges coniunctim sumunt, etiam ad usus amborum peruenisse,

—————

quum generalis praesertim adsit presumtio, quod, si plures pecuniam acceperint g) proque illa sese obligancrint, singuli eorum ratam suam acceperint, et in suam utilitatem vertent.

### §. XII.

SED quid dicendum, quando instrumento forsan expressum adiectum sit, mutuum istud ad hoc vel illud matrimonii onus sustinendum, esse contractum? Evidem tunc nihilominus, vxorem ex illo teneri arbitrarer, et si vel maxime nulla inter coniuges communio bonorum obtineat, dummodo sua sponte ad onus hocce simul cum marito sustinendum sese obtulerit, ac in ipso chirographo hoc declarauerit; siquidem nulla existit lex prohibitiua, quae soli marito onerum matrimonialium sustentationem iniungat; et quando omissione cuiusdam actus nullibi prohibita est, libera manebit semper facultas, per exercitium istius actus commodis renunciandi, quae dispositio legis nobis concedit.

### §. XIII.

PROBE hoc mihi notandum videtur imprimis contra sententiam modo laudati summi viri DÁVID. GE. STRVBEN, quando existimat, persciendum non esse cui bono mulier pecuniam aliunde sumere veller, quum neque in societatem quaestus mariti veniat, nec familiae alimenta subministrare debeat ideoque vxorem, qui tamquam correia contractui mariti accedit, simpliciter pro fide iubente declarat.

HOSPES plane esset inter Germaniae nostrae incolas, qui nescirent, quo ardore ac studio vxores quaestui ac negotiis maritorum sese immisceant, qualem industriam et curam iliae

g) Si plures autem pecuniam acceperunt, singuli pro rata tenentur. LAVTERBACH coll. theor. præf. libr. XII, Tit. I, de reb. cred, §. 21.

lae plerumque in rei familiaris conseruatione figant, et quantum illis saepe inter sit, ut fidem maritorum tueantur. Namuis enim penes Romanos, vbi diuertia erant frequentissima, et vxor haud facile resistebat rogationi mariti, vtne bonis denudata domo expelleretur et in egestate relinquatur, vbi nullum in re familiari quaestum faciebant vxores, iisque perinde erat, an maritus ibi proficeret, an detrimentum caperet, ac regulariter nulla erat in iure ciuili coniugum successio, minus bene consultum videbatur vxori, quae mariti mutuum contrahentis negotio sele immiscebatur; plane diuersa tamen est indeoles coniugum Germanorum. Apud nos enim matrimonia sunt indissolubilia, vxor plerumque acquirit simul cum marito, sentit cum illo rei familiaris detrimentum, admittitur coniux superstes ad hereditatem defuncti b), si propria bona conferre vult; nullam e contrario vxori periculum imminet, si votis mariti satisfacere et illius contractui accedere nolit. Quare etiam Germani semper facilius indulgebant fideiussioni vxoris pro marito quam pro extranco, donationem inter coniuges sustinebant, communioni bonorum inter illos locum dabant, etc. ex quibus colligitur, quod pro conditione nostrorum matrimoniorum nulla fraudis suspicio cadere possit in maritum cuius contractui vxor accedit.

#### §. XIV.

QVOD si porro Doctores ex eo quod maritus sit administrator bonorum vxoris, argumentari student, omnem pecuniam soli marito frustile numeratam, ideoque idcirco creditor, vxorem conuenienti exceptionem non numeratae pecuniae obstat, hoc etiam minus nihil referre videret.

POSITO enim, neutquam verum concessso, omnem pecuniam, quam coniuges simul alitude sumunt, marito soli numeran-

b) vid. LUDWIG Diff. iur. Rom. et Germ. in success. coniug.

merari, vxor tamen nihiloscus ex facto eius; tamquam administratoris, tenebitur, si ipsa chirographum subsignavit, quandoquidem etiam minorenus ex facto tutoris aut curatoris obligatur <sup>i)</sup>). Nemo autem dicet, meliorem esse mulieris quam minoris conditionem, quum ista non alia ex causa restituatur, quam maiores <sup>k)</sup>, et summatim femina, matrioribus ingenii viribus praedita, minoribus neutquam sit aequiparanda, sed nusquam fere eorum priuilegiis vtatur, vbi de iure tertii cuiusdam sermo est. Leges praeterea bonorum vxoris administrationem minime ob eius imbecillitatem, sed eo fine concederunt marito vt tamquam usufructuarius commodum exinde percipiat; attamen de substanciali istorum bonorum libera restat vxori disponendi facultas, dummodo manus in eius facta consentit, id quod iuste exinde colligitur, quod simul cum illa contrahat. Capessendum ergo neutquam est, quomodo ista bonorum administratio marito praetudicium ferre, aut eum obligare possit, vt solus ex propriis soluat, quod mulier simul cum eo mutuo accepit, licet pecunia vel maxime ad eius manus fuerit numerata.

### §. XV.

QVICQVID porro ex Tureconsultorum, qui in contrarium sententiam tulerunt, opinionibus colligere potuimus, praesumptionibus nititur hominis quae, vbi per praesumptionem iuris, aut fortiorum facti praesumptionem eliduntur, merito loco cedere debent <sup>l)</sup> et onus probandi versionem in rem vxoris ad creditorem aut maritum deuovere negueunt.

Quan-

<sup>i)</sup> vid. Perill. HELLFELD. *Iur. tit. 21. l. ult. ff. ad SCrum Vellei. risp. for. §. 782, §. 9. Instit. de iniur. l. 5. ff. de R. I.* <sup>l)</sup> CARPOV *Iurisprud. for. P. III. confit. IX. def. 8. n. 7. Perill.*

<sup>k)</sup> ANT. FABER *L. IV. Cod. def. HELLFELD Iurisprud. for. §. 152.*

Quando igitur doctores super laudati ex simultanea vxoris obligatione praesumtionem doli mali ex parte mariti, et intercessionis palliatae extorquere student, aequior pro nobis semper militat praesumtio iuris, quod quilibet in dubio pro honesto sit habendus *m*): omnia inter coniuges bona fide agantur, nec aliud quidquam actum, aliud simulatum sit, donec probetur contrarium. Lubentius igitur maritum in bona fide versari, illudque mutuum simul cum vxore optimis quibuscumque rationibus interpellatum, et sincerrima plerumque intentione contraxisse, nec non partem dimidiari in utilitatem vxoris versam esse, in dubio prae sumendum erit. Id quod etiam tenore chirographi simpliciter confirmatur. Quod si vero vxor huius valorem in dubium vocare, aut eius contrarium forsitan probare conetur ac demonstrare, subscriptioni suae reuera intercessionem palliatam interfuisse, aut dolum malum ex parte mariti, aut pecuniam sibi numeratam, et in suam rem versam non esse, in reconuentione istud deducere poterit, ex chirographo autem, tamquam documento guarendigato, simpliciter tenebitur. *n*)

#### §. XVI.

Quid enim sibi vult praesumtio aut conjectura, hunc vel illum pecuniam accepisse, illum vel istum verum sortis debitorem esse, ubi res dubia non est, et de veritate satis constat? *o*) Obstat autem vxori propria chirographi subscriptio, qua

*m*) L. 18. § 5. ff. *de probat, et prae-* 790. THOM. HAYM *de stylo cu-*  
*rriae L. XI. rit. II. §. 8.*

*n*) L. 13. Cod. sub fin. de non nu- *o*) Dubium autem non est, quod  
mer. pec. L. 25. fin. ff. *de probat, et pars aduersa confitetur, et instru-*  
*praesumt. SCHILTER exercit. 22.* *mentum quod confessionem prodicetam-*  
*ab. 20. SCHAVMBVRG pr. prax.* *quam propria confessio contra scri-*  
*L. II. cap. II. §. II. Il. IO. LVDW.* *bentem plene probat. Perill. HELL-*  
*SCHMIDT practisches Lehrbuch §.* *FELLD Iurisprudent. for. §. II 146.*

confitetur, sese ipsam, non autem solum maritum pecuniam accepisse. Haecc confessio pro argumento omni exceptione maiori merito accipitur, et fides ei habetur, donec probetur contrarium. *Quemadmodum enim, inquit LAVTERBACH p), in verborum obligatione, si quis verbis pecuniam accepisse fatetur, et stipulanti promittit, se eandem restituendum, obligatur non ex numeratione, sed ex ipsis verbis et stipulatione, ita etiam res se habet in literarum obligatione.* Tunc enim numeratio ex literis praesumpta tantum est causa impulsua, ipsa autem scriptura et promissio in scriptura facta reuera est fundamentum et causa obligationis et actionis §. vii. *Instit. de literar. obligat. et §. f. I. de oblig. ibi: scriptura obligetur.*

**P**ARVM igitur proficeret, si vel maxime concedere vellemus praesumendum esse, quod plerumque sit, et mutua ut plurimum in usum mariti fieri. Talis enim praesumtio, quae ex pluralitate casuum tantummodo extorquetur, neutiquam sufficit ad fidem documenti guarentigiat inuentandam. Nec etiam obstant, quae modo laudatus auctor illustris, DAV. GE. STRUBEN ad stabiliendam suam sententiam adduxit ex scriptis BERGERI, THOMASII et opusculis CRAMERI, quod in negotiis, quae sunt facti, praesumptionibus, quae ex factis precedentibus et iustis rationibus colliguntur, locus non sit denegandus, sed illae multum valeant. Omni no haec concedere possumus, salua nostra thesi. Locum quidem habent, imo multum valent istae praesumptiones ad reuandam vxori probationem, non se, sed reuera solum maritum esse totius sortis debitorem, omnem pecuniam tantummodo in rem illius esse versam, et accessionem suam intercessionem palliatam fuisse. Negamus autem ac pernegamus, quod istae praesumptiones eiusmodi sint ponderis atque momentum.

# 1159. Confessionem vero mulierum ipsius praejudicare docet l. 23. C. ad SCItem Vell. p) ad Lib. xii. Tit. I. ff. §. 43.

menti, ut per se solae fidem chirographi dubium reddere, et onus probandi versionem sortis in rem uxoris in creditorem deuoluere possint.

### §. XVII.

RECTE igitur, uti nobis quidem videtur, inquit BOEHMUS: *q) Quod si contra fidem chirographi ab uxore scriptum et inductio maritalis ac pecuniae in maritum deriuatio praesumetur, nemo tutus esset, qui vel ullam rem in maritum ab uxore contractu translatam, ab eo emeret, vel ipsi uxori crederet, quod nemo dicet.* Nonne enim, si eiusmodi praesumptionibus quales in aduersariorum opinionem veniunt, aures semper porrige-re vellemus, mox omnis fides in negotiis cum teneriori sexu pertractandis cessaret? Nec etiam ex vilo chirographo, aut contractu aliunde concluso, vxor amplius teneretur, quoniam semper suspicio adesset, illam a marito fuisse coactam aut seductam, ut instrumento nomen adponat; imo nec ultima testatione marito aliquid relinquere, multo minus cum eo ipso contractum qualemcumque valide inire posset, si tanta contra illum doli praesumtio militaret, id quod absolum vtique esset.

### §. XVIII.

VLTRA finem legislatoribus propositum itaque progre-di videntur, qui dispositionem Authenticae, de interces-sione solummodo loquentis ad obligationes mulierum principales extendunt, ac sensum prohibitionis latissimum adsumunt. Iterum quidem dissentire videtur vir iste ma-gni nominis, eximia iurisprudentia pollens, FRIEDERI-CVS BEHMERVS, r) quando asserit, uxorem, quae sola

C 2

tam-

*q) in Dissertat, nuper alleg. C. III. r) vid. eius nouum Ius contra-versum Tit. II, obseru. 103.*



ramquam debitrix principalis se obligauerit, nihil secius beneficio Authenticae *si qua mulier* quandoque defendi. Sistit nobis exemplum caussae Silesiacae eoram summo tribunalii ante aliquot annos ventilatae, ac in fauorem vxoris reae, quae se sola principaliter obligauerat, decisae. Sed probe notandum, quod debitrix expresse allegauerit, creditricem ab initio statim non ignorasse, quod intercessio palliata contractui subsit, et pecuniam, quam mutuo dederit ad solum maritum pervenire. Haec debitricis assertio omnino totum istud negotium suspectum reddebat, adeo ut ista haud inique ad probationem huius iactatae scientiae admitteretur. Minime vero locus dabatur prae sumptioni nec contra maritum, nec contra creditricem: sed tota res ex eo pendebat, vtrum rea probacionem sibi inumctam absoluueret, ac demonstraret, creditricem sciuisse; negotium cum ipsa pertractatum non nisi simulatum et illicitum glaucoma fuisse. Quia probatione denum exacta rea absoluuebatur; et recte quidem. Quisquis enim sciens, obligationi mulieris intercessionem reuera subesse, mutuum cura illa contrahit, vtique in dolo versari, et in fraudem beneficiorum muliebrium contraxisse censetur, quorum omnino applicatio locum habet, vbi vxor se ab initio statim ream constituedo alienam obligationem in se deriuat. <sup>1)</sup> Nihil etiam refert, quod ipsa creditrix sequioris sit sexus. Vxor enim, quae beneficio sibi concesso sese tinetur, ad se liberandam ab obligatione ex in excessione palliata exorta, non turbat aequem priuilegiam in exercitio istius priuilegii, ideoque iure optimo vititur exceptione sibi concessa, <sup>2)</sup> dummodo probare potest, quod mutuum contrahens ipsa alienam in se suscepit obligationem id quod in regula tamen haud praesumentum est, quare etiam summum Tribunale ream ad probacionem

<sup>1)</sup> I. 4. C. ad Senatusconsultum <sup>2)</sup> STRYX de iure priuilegiati contra aequem priuilegium.  
Vellei.

nem quidem admisit, neutquam tamen creditrici onus pro-  
landi contrarium imposuit.

§. XIX.

SIMILEM nobis Vir Perillustris, cuius circa rem  
iudicariam merita profecto immortalia erunt 10 ANN.  
STEPHAN. PVTTER. u) casum exhibet, vbi mulier  
instrumento super mutuum a filio ipsius solo primum  
contractum, absque ullo nouo additamento nomen adposue-  
rat, et paullo post ipsa aliam sortem ab eodem creditore mu-  
tuata erat, attamen instrumento expresse adiiciendum cura-  
uerat, quod pecunia in usum filii verteretur. Hic vtique  
clarum quam quod clarissimum erat per se, obligationi mu-  
lieris ratione posterioris pensionis reuera intercessionem sub-  
esse, et eiusdem accessionem ad priorem chirographum so-  
lummodo ad fidem filio conciliandam, ideoque animo fide-  
iubendi, factam esse. Haud opus igitur erat vteriori de-  
monstratione, quod pecunia in usum filii vera sit, et mu-  
lier vi beneficii ex Scto Velleiano iure optimo subducebatur.  
Nec obstat *lex 13 C. ad Sctum Vellei*, quae aperte loquitur  
non nisi de pecunia, quam mulier foenoris causa, vt ean-  
dem statim alteri crederet, aliunde sumfis. In casu obviis  
autem animus fideiubendi ex parte matris apparebat adeo,  
vt plane locum non haberet quaestio, utrum creditori aut  
mulieri competit probatio in rem versionis; potius leges ab  
incolya Facultate Goettingensi allegatae v) simpliciter suffi-  
cabant, ad causam primo statim aspectu in fauorem mulie-  
ris rite decidendam, et plane superflua mihi quidem videtur  
allegatio sententiae MEVII, existimantis, quod in dubio pre-  
sumendum sit, mulierem alienam obligationem suscepisse;  
quandoquidem rebus sic stantibus nihil dubium erat, sed in  
media luce caecutire videretur, qui intercessionis vestigia  
non prima statim specie sentiret.

C 3

§. XX.

u) in den auserlesenen Rechtsfällen v) L. 8. §. 14. ff. ad Sctum Vell. B.  
P. III. decis. 78. 4. C. ad Sctum Vell. l. 8. §. 1. ff. cod.

## §. XX.

HAEC cum ita sece habeant, non dubium quidem est, quod obrineat Senatusconsulatum, si mutuum vxoris quidem adest, palliatam tamen intercessionem contineat; eam tamen praefumi posse nullo modo concedere possumus, ac merito potius statuendum, probationis onus incumbere vxori. Haud ita pridem lis quaedam ab illustri ordine Iurisconsultorum est decisa, vbi heredes vxoris ad Senatusconsulatum Velleianum confugere vellent, haec autem chirographum, quod vna cum marito correaltere creditoru dederat, recognouerat; nec vocula quidem mentionem fecerat fideiuisionis. Haec fuit ratio, cur modo laudati Iurisconsulti ita pronunciauerunt: Hiernechst hat Provocantens Suchen nicht statt, sondern es sind die in deposito befindliche 20 Mfl. 7 Gr. 9. Pf. Gebtische Tagezeit Gelder an Provocaten zu verabfolgen. Illustrant hoc rationes huic sententiae subiectae: — — soviel die Hauptache anlangt, einer Ehefrau, welche mit ihrem Ehemann zugleich Geld aufnimmt, und zu der Bezahlung der Haelfte desselben als Mitschuldnerin sich mit verbindlich gemacht, das, was in den gemeinen Rechten von den Verburgungen der Weibspersonen verordnet ist, anders nicht, als in sofern eine solche Verburgung unter dem diesfalls von der Frau geschehenen Ver sprechen verborgen gelegen, und sie dieses vor schützt, zu statten kommen kan, CARPOV. P. IV. const. 16. def. 4. MULLER ad STRUV. ex. 21. thes. II. BOEHMER ex. ad pand. Tom. III. ex 50. p. 404 und der G. Geschwister Mutter nach Anweisung der Aeten fol. Act. 23. zu der Schuld, ohne daß sie dabey, daß der Ehemann der Hauptschuldner allein sey, und sie sich nur vermittelst der in ihrem Namen mit ausgestellten Schuldverschreibung für ihn sich verjürget babe, vorgeschützt, sich bekannt etc.

## §. XXI.

ITIDEM ad illustrandum, quae modo de huius negotii qualitate proposuimus, inferuire nobis videtur casus iste re cen-

centior, vbi vxor recognitionem istius documenti quo cum marito ipsa se obligauerat, ea mente recusabat, quod, obstante Authentica si qua mulier, ex isto documento sese teneri haud putaret; vbi autem Illustres Scabini lenenses verbis sequentibus in contrarium pronunciarunt: *Auf erhabene Klage, darwider vorgebrüchte Einreden, und ferneres Einbringen Vormunds D. S. E. NN. Klaegers an einem, I. M. S. und Vormundens E. M. S. Beklagten am andern Theil, so Uns in den diesfalls ergangenen Acten nebst einer Frage zugeschickt, und darüber Unsere Rechtsbelehrung erbeten worden, sprechen wir vor Recht: Daß Mitbeklagter, I. M. S. da er die Schuldverschreibung sub nro. 23. (quod erat documentum, super mutuum 215 Thaler. ab ipso et vxore correia E. M. S. simul contractum) recognosciret — — so ist er die von den 215 Thaler und den davon aufgelaufenen Interessen auf ihn kommende Hälfte binnen sächsischer Frist an Klaegers Curandin bey Vermeidung der Hülfe zu bezahlen, und die dadurch verursachten Unkosten, nach vorhergehender deren Liquidation und richterlicher Ermäßigung, zu erstatten schuldig. Dahingegen in Ansehung der andern Hälfte der 215 Thaler-Mitbeklagter, der S. Vormund des geschehenen Einredens ungeachtet das Document sub nro. 23. in einem anderweit auszubringendem Termin, unter der Verwarnung, daß dasselbe im Unterbleibungs-Fall für recognoscirt gehalten werden solle, zu recognosciren, und weil er solches vor ietzo nicht gethan, die Unkosten des Termins, wenn sie vorher gebörig angegeben und genäßigt worden, Klaegers Curandin zu erstatten verbunden. Ergebet darauf ferner was Recht ist. v. R. w. Quam Ienenses pronuncianerunt sententiam, eam illustres Scabini Hallenses, remedio leuterationis interposito, sequentibus confirmarunt: Auf Leuterungs-Schrift und erfolgte Gesetze E. M. S. zu I. Mitbeklagtin und Leuterantin eines, D. S. C. NN. zu D. Klägerin und Leute-*

= = = = =

Leuteratin andern Theils, so Uns dieselben in denen diesfalls und vorhin ergangenen Acten zugeschicket, und Unsern Rechtspruch darüber zu ertheilen gebeten haben, erkennen Wir Königl. Preußl des Herzogthums Magdeburg zu Halle etc. etc. nach deren Erwäg und Verlelung vor Recht: Dass es, der eingewandten Leuterung obnerachtet, bey dem anz Eten Julius des 1776sten Jahres eröffneten Urtheil billig bleibet. Allermassen, so viel die erste Beschwerde betrifft, das inducirte Schnuld Document sub nro 23 besaget, dass beide, die Mitbeklagte S\*\*\* und deren Ebemann das Geld empfangen, sowohl erstere zugleich mit dem letztern der Wiederbezahlung halber sich correalter verbunden haben, und dann in diesem Falle das Ebemehl zwar nicht für ihren Ebemann zu haften; jedoch ihren Anteil zu bezahlen, allerdings gebalten, bierbey auch ein vorgängiger Beweiss, dass solcher Anteil in ihren Nutzen wirklich verwendet worden, in Betracht der bey diesen Umständen dafür streitenden Vermuthung eben nicht erforderlich ist cet.

### §. XXII.

QVOD ergo alteram obligationis partem attinet, aequo animo concedimus, vxorem ex intercessione pro rata mariti haud teneri, quamvis tamquam correa sepe obligauerit. x) Correalis enim obligationis effectus per Authenticam si qua mulier omnino impeditur, et si vxor, curatore vel maxime adhibito, beneficio diuisionis renunciauerit, et ipsae Authenticae, ex cuius ipsissimis ac perspicuis verbis patet, eam legibus prohibitus esse adnumerandam, quarum transgresio per se nulla est. Attamen, sicut iam supra monuimus, ex Iuris Canonici principiis, quod omne iumentum seruari vult, quod salua salute aeterna seruari potest,

x) vid. III. t. L. SCHMID Liber singularis de fideiussore plaus non obligato §. 73. n. 8.

poteſt <sup>y)</sup>), iuratae beneficiorum muliebrium renunciationi locus datur, ita, vt etiam pro marito intercessio ſit valida <sup>z)</sup>, et vxor ex illa teneatur, dummodo verbis expressis: *So wahr  
ibr Gott helfen follē a)*, renuncauerit. Hoc tantum modo addere licet, opus non eſſe, vt haecce renunciatio ſemper coiam iudice fiat, ſed etiam extrajudicialiter factam valere, dummodo conſtat, vxorem de beneficio Senatusconfulti Velleiani ei Authenticae ſi qua mulier, fuſſe certioratam, quare dicti Hallenses Iureconfulti pronunciarunt: *Hierüber  
Mitbeklagte S\*\*\* in mehr erwähntem Schuld-Document  
dem Senatusconfuſto Velleiano und der Authenticae C. ſi qua  
mulier, deren hauptfächlicher Inhalt in dem Documente ſelbst  
mit deutſchen Worten bemerkt und ausgedrückt worden, ſo  
mit einer abſonderlichen nochmaligen Erklärung nicht bedurft  
hat, vermittelß Eides unter denen Worten: So wahr ibr Gott  
helfen follē, renuncirt, und ſich alſo iibrer weiblichen Gerech-  
tigkeiten auf eine rechtsverbindliche Art ausdrücklich bege-  
ben hat, geſtalten daß dergleichen eidliche Renunciation  
ſchlechterdings gerichtlich geſchehen müſſe, eben nicht notb-  
wendig, wo es nicht durch ausdrückliche Landes- Geſetze  
verordnet worden, erfordert wird cet.*

### §. XXIII.

VTN autem mulier, quae beneficiis ſuis ſemel valide renuncauerit, poſt haec ignorantia ac iuris imperitia ſele ex- cufaret, communis doctorum opinio eſt, quod renunciatio nem certioratio ſpecialis de beneficiis muliebribus praecedere oporteat. Conſtat autem de hac certioratione, ſimul ac mu-

D liet

<sup>y)</sup> GONZALEZ TELLEZ Comm. ad C. 25. et 28. X de iure iur.

<sup>z)</sup> G. L. MENKEN de valida in- tercess. mulier. Senatusconf. Vellei re- nunciantis.

a) ne hanc quidem requiri for- mulam, ſed iuramentum licet et for- mula minus ſolemni conceptum ſuffice-

re, ſtatuit BOEHMER I. c. cap. III.

§. 8. Omiffo etiam actus corporalis regulariter obligationem non impedit, modo uxor ſponte nullaque vi coacta jurauerit. LEYSER Medit. ad Pand. Vol. III, fp. CCLXXII. §. 1. Secus in Saxonia, vbi decisione electorali 25. corporale iuramentum exigitur.



lier verbis hisce Germanis: *Ich ent sage der Rechtswohlthat,*  
*welche der Weiber Bürgschaft für ungültig erklärt, renun-*  
*cauerit, tunc enim vxorem satis instructam fuisse censem*  
*ac docent LEYSER VS b) aequae ac STRYKIVS c).* Quorum etiam  
*sententiam fovent laudati Illustres Iureconsulti Hallenses, ac*  
*vleriori beneficiorum interpretatione opus non esse arbitriati*  
*sunt in sententia modo recitata.*

#### §. XXIV.

CETERVM vbique ad cuiusque Provinciae ordinationes  
 et vsum fori receptum potissimum erit respiciendum. Quum  
 enim ex intentione Romannorum renunciatio beneficii ex  
 Authentica si qua mulier plane locum non habeat d), frusta  
 in eorum legibus quaeritur de modo legitimo renunciandi.  
 Sic e. gr. per se intelligitur, quod vxor in Saxonia et aliis  
 locis, vbi mulieres non sine curatore valide se obligant, quan-  
 do cum marito simul mutuum contrahere vult, vlerioris cu-  
 ratoris auctoritatem adhibere debeat: haud enim sufficere vi-  
 detur cura maritalis, quando res cum marito simul agitur, e-  
 iusque interesse ibi versatur. Secundum Ius commune au-  
 tem sola vxoris voluntas rite declarata sufficit ad eam pro sua  
 rata obligandam.

b) Medir. ad Pand. specim. 170. d) de LUDWIG in differ. Iur.  
 e) caus. contract. sect. 1. cap. v. §. 7. Rom. et German.

CON.

CONSULTISSIMO  
**C A N D I D A T O**  
 S. D. P.  
 P R A E S E S.

---

**S**i quid unquam negotium mihi datum est, quod mihi gratum fuerit atque acceptum, illud profecto hodie suscipio, quum comitari mihi mandatum est in conflictum litterarium filium amici aequae ac collegae, cuius iacturam mecum adhuc dolent omnes, quibus vera salus acadiae nostrae curae est cordique, filium inquam, patre suo dignissimum. Quum memoria iurisconsulti illius celeberrimi nunquam mihi ex animo excideret, non obliuiscar diei illius, quo cum illo ante quinque fere lustra eodem in loco, quem iam **TUV**, **VIR CONSUL-**  
**TISSIME**, occupare vis, ut mihi pararem, ad adipiscendos honores, ab illustri iurisconsultorum ordine decretos viam disputarem ac recordor simul certaminis, quo paullo post mihi doctori quidem; verumtamen iuueni, dissentientis provinciam deferret. Memini quoque, summam fuisse studiorum nostrorum cognitionem hancque arctioribus me cum ipso coniunxisse vinculis: tanto vehementius autem laetor, persequi **TUE** patris vestigia illumque una cum reliquis **TUV**

D 2

de

—

de academia nostra a primis eius abhinc incunabilis optime  
promeritis **TIBI** virtutis esse exemplum, ad imitandum pro-  
positum, licet eo sis orbatus; antequam ex pueris excederes.  
Incubuisti iurisprudeniae ante aliquot annos maximo cum  
feruore hocque nomine omnibus, quos adiisti, doctoribus  
**TE** commendasti. Ipse spectator existi ac testis laudabilis  
**TVAE** in iure proficiendi cupiditatis; neque vero **TE** frustra  
tempus consumisse in hauriendis litterarum disciplinis; sed  
praeclaram **TIBI** adquisiuisse earum cognitionem, belle testa-  
tur libellus hicce, qui ita est comparatus, vt illum magna  
cum voluptate perlegerem; neque quidquam reperiem,  
quod mihi displiceret. Non nisi fausta queuis istis **TVIS**  
ex progressionibus augurari **TIBI** possum; ego vero deum  
imploro ac contendo, vt **TE** per longam annorum seriem  
saluum ac incolumem praefest, quicquid vitam beatam red-  
dere queat ac felicem, **TIBI** largiatur atque omnia, quae  
suscepturus es, ex animi sententia succedere iubeat. Vale,  
meque fauore prosequi perge. Ienae, d. xx. Jun.

CICIOCCCLXXVIII.

—

ORNAMENTA

ORNATISSIMO DOCTISSIMO QVE  
 DOMINO  
 C A N D I D A T O  
 S. P. D.  
 IO. ERN. BASIL. WIDE BVRG

---

**Q**ua quidem ego hodie tui cassa perfundar laetitia, tu facile credes, quamvis ipse eam, nec capiam, nec effari queam. Ab ineunte iam iuuentute tua amantissima, animus tuus integerrimus et ingenuus; hilarisque, et ingenium tuum magnum, felicissimum, scientiis solidioribus laetissimum, totum me tibi dabant placidoque et tenerrimo animi sensu perfundebat. Non tam sperabam, quam certo certius praeuidebam fore, ut tu Matris viduae lugentis, sororis meae dilectissimae filius superstes unicus, sis quondam solatum magnum fulcrumque et praefidum: Patris quippe desideratissimi, nimis mature proh dolor erepti, premens vestigia, secuturusque exemplum, et de re publica merita. Impleuisi quin non superasti hanc meam spem de te conceptam in dies. Aperiuntur tibi hodie denuo meritorum et honoris portae, vel potius tueas tibi aperis ipse virtute tua et doctrina, utraque praeclara. Maecte illa, age res tuas felicissime: votis dulcissimae Matris, amantissimae patriae, fauori fautorum ingenuorum, et desideris omnium bene animorum, ut consueisti, respondens. Vale mihique fauere, et me amare perge. Ienae d. xix. Iun. ccccclxxviii.

---

PRAE-





PRAENOBILISSIMO  
DOMINO  
D O C T O R A N D O  
S. D. P.

GEORG. CHRISTOPH. GVL. VOELKER  
CONSISTORIO, QVOD HIC EST, DVCALI AB EPISTOLIS.


P. 300  
**E**flagitabat et patriae communis et vetustae amicitiae post  
 felicem TVVM e Liuonia redditum humaniter renouatae vin-  
 culum, vt, quam mihi demandabas, prouinciam, in pu-  
 blico TVO honore aduersas TIBI pro eruditorum more tene-  
 di partes, Iubentissime susciperem. Suscepi et suauissimae  
 parebo inuitationi. Ut vero in futuri quoque temporis me-  
 moriam tessera quaedam illius TVAE in me benevolentiae  
 meique erga TE amoris plane singularis extaret, ideo do-  
 cissimo a TEMET exarato libello hasce lineas adieci, quibus  
 de laurea doctorali multis nominibus egregie promerita non  
 TIBI solum, sed etiam MATRI TVAE, dignissimae matronae,  
 et cognatis, inprimisque toti WIDEBVRGIORVM genti innu-  
 meris in rem publicam litterariam meritis iam pridem illustra-  
 tae, quam ego impense colo, ex animo publice gratulor.  
 Age ergo in nobili maiorum TVORVM curriculo ylterius ten-  
 dens decoribus decora adde, vt in TE perantiquae stirpis TV-  
 AE splendorem constitutum et denuo amplificatum videamus.

Vale. Dabam Ienae d. xv. Iunii 1510CCCLXXVIII.



Jena, Diss., 1778-84  
X 230 9455





8,286. 2071  
IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE

# A M V T V V M NTRAHENTE DRVM MVLIEBRIVM EXPERTE

QVAM  
ADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SIMO PRINCIPĒ AC DOMINO

OMINO

O AVGUSTO  
IACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE  
GVESTPHALIAE REL.

VSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

PRAESIDE

RIDERICO WALCHIO

NOV. PROF. PVBL. ORD. SERENISS.  
ALTENBURG. CONSILIAN. AVLICO  
ON. COMMVN. ADSESS. AC IVRECONS.  
INOR. COLL. SENIORE HVIVSQVE  
H. T. DECANO.

VTROQVE IVRE HONORIBVS  
ONSEQVENDIS

IVN. CICIOCLXXVIII.  
DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR

ERNHARD. EMMINGHAWVS  
TATIS DVCALIS TEVTON. COLLEGA.

I ENAE  
IS STRAVSSIANIS.

1778,5